



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Lvgdvnensis. Numerus, & pericula Sociorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

Numerus, & pericula Sociorum.

IN nouem Lugdunensis Prouincie sedibus laborarunt e nostris ducenti quadraginta octo. in Lugdunensi Collegio duo de quinquaginta. In Dolano vnus & quadraginta, in Turnonensi duo supra triginta. in Auernionensi duo supra viginti. in domo Probationis sex & viginti. in Billomenfi vnus & viginti. in Didionensi, & Amiciensi viceni. in Camberienfi octodecim. Totidem admissi in Societatem. Tres Dola. Esodalibus B. Virginis Auenionensis quatuor: e quibus vnum à proposito reuocare non potuerunt, neque parentum verbera, neque oblatæ diuitiæ. Alter à domesticis inimicis verbera expertus vincula & carceres, à fuga bis arrepta retractus tertio tandem seminudus Auenionem peruenit.

Obijt vnus P. Ioannes Fornerius Rector Camberiacensis, cum peteret Lugdunum de
 ponte

ponte quodam in profluentem excutitur ab equo. hunc aquis obrutum, equus ipse simili casu delapsus mole sua pene obterit. extractus è flumine, & expiatus a Sacerdote Italo, quem præcipuo quodam numine Dei sibi sociū adiunxisse videbatur. in parua, & nuda casa de vita decessit.

Vnus e nostris in Prædones incidit sitientissimos Iesuitici sanguinis. iacturam fecit vestilum, atque pecuniæ. cæterum incolumis, quoniam ab ipsis habitus est pro parocho. Duo item capti & spoliati à latronibus, abducti in intimam syluam in saltu deserto, atque tenebricoso ad arborem alligati sunt vinculis post tergum manibus: eo loco viui futuri erant ferarum esca, sed dominus eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum dirupit.

In Proximos.

Tvrnoni rediere ad Catholicã fidem hæretici septem & triginta. in his Apostatæ duo, qui Sacerdotes erant: cum transfugerunt ad hæreticos, ab ijs statim sunt nefarijs ligati nuptijs, & præfecti muneri prædicantium. resipuerunt suasu nostrorum. mulierculis illis relictis, habitu simulato, venerunt ad nos, eamque instituerunt vitæ rationem; vt sint omnibus exemplo, aliosque prædicantes mirū

in modum ad veritatem alliciant. Dole quoque ab heresi extracti viri tres, sceminae totidem Auenione.

Delphinates hoc anno propter bellorum incommoda pressi magna rerum penuria turmatim per familias, ac prope per villulas seminudi, fame, & morbis afflicti ad Lugdunense suburbium trans Rhodanum confluebant: cumque aditu urbis arcerentur a custodibus, longo agmine totum pontem iacentes occupabant, vbi plurimi miserando sane spectaculo prae inopia exhalabant animam. nostri statim aduolarunt, remque conspectam oculis; ita publicis, priuatisque sermonibus inculcarunt ciuibus, vt ad eos viri, atque matrona plurima, pecuniam, panem, copiosumque commeatum summa alacritate, atque caritate contulerint, ipsos quindecim dies. Dumque alij corpus alibant; nos non destitimus reficere animos. elementis, fidei, concione, confessione, Eucharistia. quae Christiani hominis officia in Paschate praetermiserant: donec Magistratus tantam conuenarum multitudinem, cum iam milleni numerarentur, his tumultuosis temporibus ab vrbe longius amouendam ratus, eos dimisit donatos a se larga elemosyna, a nobis vero pijs libellis, quos hoc anno summa liberalitate piorum impresimus ad centum quadraginta millia, & partim in hac vrbe distribuimus, partim alijs Collegijs,

Mis-

Missionibus, Parochis oppidorum distribuenda donauimus.

Inter multos, quibus moribundis astitimus nominandus est Archiepiscopus Grimaldus qui Auenione & toto ægritudinis tempore vti voluit spiritualibus medicamentis Societatis, et cum se morti proximū animaduertet, iussit aduocari nostros, vt vltimū spiritum in eorum manibus exhalaret. Fuit vir erga nostrum ordinem plane beneuolus, ac liberalis.

Eripienda fuit a potestate Diaboli fœmina, quæ se illi deuouerat, si ingressa amplius esset in tectum filij, a quo irata recesserat. Execrationis oblita statim redijt. statim Demon mulierem indutus, eam arripuit, in summam tēpli pinnā adduxit, & dedisset ex eo loco precipitem, nisi illa ad se reuersa, tremendo nomine hostem à se aliquantulum remouisset, eodēque telo circum cursantem, quasi canem, iam iamque se immittentem tam diu arcuisset, donec allatum est presidium, & ab homine societatis reconciliata Deo.

Anicij bini possessores iniquæ fidei quingentos aureos reddidere veris dominis. tātundem Billomi, nostris enitentibus. Camberiaci pene euersa mala consuetudo in monasteria fœminarum contra fas ingrediendi.

Missiones factæ a Dolanis Vesuliū, Dalom Vesuntium. Lugduno excursus in vici

nos pagos, Turuntium, quod oppidum est in Burgundia. Albenaci sentiebant nobiles unam esse viam dignitatis, vel recuperanda, vel tuenda singulare certamen. magna contentione, atque prudentia nostri Sacerdotis effectum est, ut intelligerent aliam esse longe meliorem, atque iustiorum principum virorum iudicium. Ex quo sancita ab iisdem lex est, ut stetur imposteriorum sententiae Gubernatoris. quod ille pro sua prudentia, peritia, atque nobilitate statuerit, id habeatur quam honestissimum.

Scholarum, & rei familiaris incrementa.

Dolanum Collegium hoc anno perfectum est omnibus quasi numeris, cum ad ceteros professores adiuncti sint tertius philosophus, alter Scholasticus, explicator sacrarum literarum, & Hebraicae linguae magister. Terrunt Diuinionense Gymnasium discipuli quingenti. Lugdunense septingenti magnopere civitatem excitauere, quoties ad supplicationes, quae pro statu Regni, frequenter indici solent processerunt candidati, nudis pedibus, seque verberantes in cilicina veste plurimi. Auenione nobilis hereticus, cum filio apud nos educato persuadere non posset, ut carnes, diebus
 vetitis

vetitis ederet, versus in iram cum districto gladio furibundus innadit. adolescens vero ita prompte iugulum venienti præbuit; ut pater in alium animi sensum conuersus, intellexerit ac prædicauerit apud Iesuitas maiorem illum hausisse constantiam, quam ut ab homine expugnari posset.

Ab hinc tribus annis Lugduni institutum Theologicum nostrorum seminarium; visum est ciuibus valde auctum iri splendorem ciuitatis, si philosophicus cursus accederet. res diu agitata per consilium; Statuta tandem est aduentibus ijs, qui Prætorio regio præfunt, quorum primates in nostra disciplina sunt educati. polliciti ciues aureos annuos in eum finem Collegio septingentos.

Magnum in nos amorē præfert Archiepiscopus Lugdunensis. magnum dux Momoransius. hic antequam proficisceretur in Delphinatum in nostro templo una cum fratre Eucharistiam, in cœnatione, summa humanitate prandium sumere nobiscum voluit. quibus etiam reditus aureorum ducentorum ex Prætura Foresana est elargitus. Coempta domus est finitima Collegio conuictorū, ad quam transitus è nostris angustijs facta breui ambulatione patebit.

Dolanis legauit ciuis libras annuas quadringentas. ex his centū bibliothecæ, totidem sacro vestiario. reliquum assignauit vsibus

excursionum. Donata templo argentea candelabra, & pixis ad suscipiendum Christi corpus magni pretij, atque artis.

Præterita detrimenta Billoniensium compensavit benignitas piorum hominum, præsertim Claromontani Episcopi, eiusque fratris, à quibus supra duo aureorum millia donata sunt Collegio. A nobis instaurata villa, quæ incensa fuerat sacibus impiorum. Ex ædificato Xysto, ad quartum Collegij latus; effectum, ut quadernis ambulationibus, quadratum ædificium vndequaque peruia esse possit.

Cum intelligeret Magistratus Didionensis nos rerum pressos inopia cogitare de immuendo numero Doctorum, duplicavit aureos ducentos, quos annuos Collegio tribuebat, & statuit alia nonnulla, quibus ære alieno liberabimur. Episcopus urbis elargitus est Aniciensibus suam bibliothecam, & aureos quingentos ad vicinas ædes coemendas.

